

†

BOLETIN ECLESIÁSTICO DEL ARZOBISPADO DE TOLEDO.

ESTE BOLETIN ESTÁ DEDICADO A LA CIRCULACION DE LAS COMUNICACIONES OFICIALES DEL ARZOBISPADO Y DEMAS QUE CONVENGA AL INTERÉS DEL CLERO.

JUNTA DIOCESANA DE REPARACION DE TEMPLOS DE TOLEDO.

Interesante á los Sres. Párrocos ó encargados de las Parroquias, y á los Capellanes de los Conventos de Religiosas que á continuacion se expresan.

Habiéndose dignado S.. M. la Reina (q. d. g.) conceder por Reales órdenes de 20 de Julio último la cantidad de 290.475 rs. para reparacion de las Iglesias y Conventos que , con la respectiva suma designada para cada una se expresan á continuacion; y noticiándose por el Emmo. Sr. Cardenal Arzobispo en 50 del próximo pasado Setiembre, haberse ya recibido aquella sumia por el Habilitado del Clero en Madrid, que habita en la calle de Ciudad-Rodrigo, n.º 10, piso principal; esta Junta Diocesana tiene dispuesto se entreguen sin demora , pero con las debidas formalidades, las respectivas cuotas á los Administradores Depositarios de las Juntas subalternas; y al efecto encarga á sus Presidentes cumplan para ello con cuanto se previene en circular de 19 de Agosto del presente año, inserta en el n.º 53 de este periódico , correspondiente al dia 22 del propio mes , cuyas disposiciones se tendrán por reproducidas , sin mas variacion que la de hallarse ahora los fondos en poder del expresado Habilitado del Clero de la provincia de Madrid. Toledo 2 de Octubre de 1863.—*El Vice-Presidente, Antonio Tiburcio Acevedo.—El Vocal Secretario, Sisto Ramon Parro.*

PARROQUIAS A QUE SE REFIERE LA ANTERIOR CIRCULAR.

Rs. vn.

Huerta de Valdecarábanos.....	60.000
Chamartin de la Rosa.....	21.210

Brunete.....	20.955
Santa María de Buitrago.....	24.187
Galapagar.....	67.655
Alcalá (S.-Felipe Neri).....	54.200
Cedillo.....	15.000
Villaconejos.....	4.400
	247.605

CONVENTOS.

Viso del Marqués (Franciscas).....	9.645
Madrid (Santa Teresa).....	10.500
Bohadilla del Monte (Carmelitas Descalzas).	4.000
Madrid (Concepcion Gerónima).....	4.000
Talavera (S. Benito).....	3.896
Toledo (Santa Fé).....	5.827
Madrid (S. Fernando).....	5.000
	42.868

Total de ambas partidas..... 290.473

De Historia ecclesiastica maxima utilitate ORATIO INAUGURALIS, quam in Seminario Conciliari et Centrali Toletano kalendas Octobris anni MDCCCLXIII publice dixit Dr. D. Fr. Sebastianus Perez Alonso, Almæ Ecclesiae Hispaniarum Primatis Cañonicus Pænitentiarius, ac ejusdem Seminarii Theologie moralis Professor.

EMMI. AC RMI. CÁRD. ARCHIEP. LICENTIA.

Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera. Filii qui nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei: et mandata ejus exquirant. (Ps. LXXVII.)

DIGNISSIME PRÆSES, CLARISSIMI PROFESSORES,
dilectissimi juvenes, ceterique undequaque ornatissimi adstantes:

Sapientiae studium gentibus omnibus maximo in pretio habitum fuisse, neminem ignorare arbitror. Nec enim illa adeo barbara et ab humano officio aliena natio unquam fuit, quæ suos sapientiae professores non habuerit et laudarit.

Verum enimvero non æque apud alios et. alios populos id studium claruit. Egiptii, Græci ac Romani præstantiorem hac in re laudem sibi vindicant. Hos tamen populos, si cum christianis populis conferantur, pueros esse censendos, litterarum historia testatur. Res enim facti indubia est, veteres ethnicos in tenebris ignorantiae jacuisse; immo, in maximi momenti quæstionibus turpiter errasse.

Scientiarum Deus Dominus noster J. C. increata sapientia omnem gentem in hunc mundum venientem illuminans, omnem veritatem docuit, atque ad eam docendam discipulos suos missit, dicens: *Doceite omnes gentes.*

Cum haec certo certiora sint; cum Religionem christianam non solum scientiarum studium promovere, verum etiam ad eas altius excolendas magnis stimulis concitare, ex historia evincatur; temperari non possum, quin vehementer doleam, cum libris et ephemeredibus lego, Religionem christianam scientiarum et artium progressui officere, fidem theologicam, quae religionis fundamentum est, cum ratione pugnare, ipsam fidem rationis humanæ vim tamquam ferreo circulo opprimere, eamque omnino elidere; Religionis ministros *obscuranterissimum*, quem vocant, fovere, tridentina Seminaria, nonnullis quæstionibus scholasticis implicata, scientiarum profectus retardare.

Sermo meus non quidem hodie cum his vel invidis, vel ignorantibus est habendus. Si ad eos verba facturus essem, falsitatis argüere non mihi operosum foret. Facilime demonstrarem, rationem et fidem, utpote ab uno eodemque fonte emanantes, amico sedere esse conjunctas; Ecclesiastum catholicam non invido oculo scientias prospicere, sed ad eas comparandas sedulo excitare. Ex collatis, aliunde, tabellis synopticis, satis abunde liquet, nullum cœtum, sapientium hominum institutionem ullam reperiri, qui Religionis catholicæ ministros aut superent, aut adæquent.

Quod vero ad instituta conciliaria pertinet, quid in eis desiderari queat? Aditus ad ea patent. Veniant detractores, et videant. Quidquid ad homines scientificos formandos inservit, nostris seminariis edocetur: Latini sermonis venustas, divinumque hebreorum idioma altius recolitur. Logica, psicologia, ontologia, antropologia, cosmologia, naturalis theologia, quotquot scientiarum moralium nomine veniunt, quotquot naturalium disciplinarum appellationem sortiuntur, ut phisica generalis et particularis, chemia, mathesis, ejusque multiplices divisiones, historia, critica, hermeneutica, exegesis, aliaque hujusmodi his in Lyceis addiscuntur. Venite et videte. Omnibus notum est, Scientiarum Reginam Theologiam, ceteras scientias non tamquam servas et ancillas tractare, sed eas tamquam auxiliares assumere. Ut vero rem paucis absolvam, omnibus cum clarissimo auctore videre licet, fidem catholicam ad instar machinae electricæ esse, quæ scientiæ veluti fluidum excitat ubique atque communicat; ac vivus proinde semper et ardens, ut ita dicam, ignis illius ope servatur et alitur.

Hæc aliaque bene multa adversus turgentes homines pro viribus objicerem. Sed cum ad vos, qui omnia optime nostis, sermonem habeam, aliò orationem flecti oportunum duxi.

Neque, quod me verterem, diu anceps fui. Cum fere omnia, quæ ad instructionem educationemque spectant, ab egregiis professoribus copiose, erudite atque eleganter tractata sint, nihil novum dici posse videbatur.

Cum tamen pro munere obeundo, quid proponerem, mente recogita-

rem, illico Ecclesiæ historia atque patrologia sese obtulerunt. De his in præsentiarum agendum mihi est. Brevitate igitur sermonis fenvicam, historiam ecclesiasticam, particularemque sanctorum Patrum historiam ad omnes ecclesiasticas disciplinas perficiendas maxime utilitatis esse.

Benevolis auribus favete.

Societatem nullam absque religione unquam fuisse, optime, sapientissimi professores, scitis. Religionem ac proinde societatem sine historia perdurare non posse ipsa ratio dictitat. Quemadmodum enim individualis ratio absque memoria nihil ferme est, nihil pariter societas humana, quæ facta historicæ minime conservaret. Rerum omnium ignari, veluti idiotæ, vitam agerent præteriti immemores. Nulla idea menti suæ affulgéret, normam nullam suis in operationibus sequerentur. Hoc idem integræ societati absque memoria sociali ab historia conservata, proculdubio eveniret.

Quod autem de hominibus, populis ac nationibus dicimus, hoc ipsum de quacumque scientia affirmare luet. Si populum aliquem historia spoliaveris, eum vita spoliasti. Oblitterentur ejus institutiones, quæ *memoria nationalis* dici queunt, ipsa etiam societas deleta fuit. Si cuiuslibet scientiæ fastos, traditiones, atque eorum, qui eas coluerunt, labores tolas, scientiam quoque sustulisti.

Si hoc de quacumque civili societate verum apud omnes est, potiori jure de ecclesiastica societate asserere tenemur.

Cum divinitus constituta fuerit Ecclesia, ab ejus fundatore J. C. quidquid essentiale est, accepit; eamdem retinet doctrinam; idem ministerium idemque regimen exercet. Ut magna maria magnaque imperia, sic Ecclesiam multis esse obnoxiam varietatibus, tempestatibus et procellis, mundus universus agnoscit. Hæc autem extra ejusdem ecclesiæ historiam frustra requiras.

Neque solummodo lapsa jam tempora veneratur revocatque Ecclesia, verum etiam ea tamquam fundamentalem regulam et habet, et ab omnibus haberit maximopere desiderat.

Ex autenticis siquidem documentis sua decreta, principia, regiminis leges, fidei certitudinem, et sëpe sëpius suorum canonum sive litterarum sive spiritum depromit. Historia, Summorum Pontificum oculis vigilata, eorumdem manibus custodita, conciliis eceteris que ecclesiasticis comitiis præest, consilia deliberationesque dirigit, judicia ac sententias dictat atque testatur.

Ad particularia proprius accedamus. Ac primo quidem, fidei veritates, symbolis traditas, in conciliorum definitionibus evolutas, scientifice in Patrum ac Doctorum scriptis edocatas, dogmatica theologia quaerit. Religionis originem, titulos, progressum, victorias stabilitatem historiam exhibere, omnibus notum est.

Neque vero is ego sum, qui aut ignorem aut negem, quæstionibus theologicis nonnulla facta historicæ, ad illas spectantia, præcedere. Hanc

autem agendi rationem, quæ aliunde historiæ necessitatem arguit, plene non satisfaceret patet. Facta illa seorsim sumpta; pedem vel gigantis brachium, si vultis, non vero integrum vivum atque perfectum corpus exhibebunt. Ecclesiam veluti corpus optime constructum, omnibus membris aptatum, nitore splendescens ac vita plenum, historia dumtaxat exhibere potest. In singulis historiæ eventibus nervorum atque fibrarum, quæ ad eos referentur, centrum invenies. Facta, quæ parvi momenti videntur, magnum influxum exercere videbis; omniaque pro tempore et loco effectum et causam esse. His directis influxibus alii etiam adjungi debent, qui ad instar immensæ retis nœxi, sœcula et populos, locaque temporaque omnia amplectuntur.

Facta rumpere atque separare ars critica prohibet. Qui legem hanc frangere audeat, viva atque palpitantia historiæ viscera dilaniare sciat; deformia, immovilia, tamquam mortua jacere videbit.

Si ossa hæc arida ad vitam revocare voluerit, carnis et nervis, quæ historia ministrat, replere vestireque debet.

Neque aliquius determinata epochæ historia, Arianismi e. g. Pelagianismi aut Nestorianismi multum juvabit, dummodo, quæ præcesserunt facta vel subsequta sunt, prætermittantur. Quis etenim adeo recens in pulvere historico-critico est, qui nesciat, omnes historicos eventus quamdam affinitatem genealogiamque communem habere?

Qui ergo brevibus notionibus historicis contentus fuerit, numquam intimam sacræ theologiæ naturam perscrutabitur.

Ut firmo securoque pede theologus procedat, ut in illa veritatum ac errorum memora penetret, duce aliquo, qui eum dirigat, indiget. Quod quidem officium ad historiam pertinet. Hoc duce, haud operosum erit memoria suâ illa facta retinere, quæ historia exhibet.

Non minoris adjutorii theologiæ mōrali quam dogmaticæ historiæ studium erit. Hoc enim adjutorio sussultus theologus, cum gravem perdifficilemque animarum régendarum artem exercere teneatur, prudentem opinionum electionem facere addiscet.

Historiam ecclesiasticam, quæ vox ac generalis independensque ejusdem ecclesiæ norma est, præoculis retinens, æquo sensu de adjunctis circumstantiis judicabit, ac œcumenicæ doctrinæ firmiter adhærebit.

Nolumus tamen omne proprium judicium his super opinionibus theologum deponere; mens nostra eo tendit, ut eas seligat, quæ certæ sint; quæ autem à cordatis sustinentur, neque improbet, neque condemnet.

Eadem historia duce, à Summorum Pontificum ac conciliorum decisionibus animarum rector cognoscere potest, quos ipse limites tenere, quosve alis præscribere debeat. In historia demum, illos duces sapientesque magistros adinveniet, qui Ecclesiam quavis ætate illustrarunt.

Præter conscientiarum regimen, aliud etiam politicum et morale regimen Ecclesiæ adscriptum est. Quis autem multiplicitatem, rerumque implicationem in hoc ministerio adimplendo numerare valeat? Hæc vero

dificultates , quid aliud probant nisi necessitatem , quæ pastoribus inest , assidue historiam meditandi?

Scientia canonum pollere non posse nisi qui scientia historica maxime polleant , neminem arbitrer negaturum. Cum luctuosis , quos vivimus , diebus regiminis civilis fundamenta quaquaversus ab imis commota sint , næoterici canonistæ , firmissima etiam juris ecclesiastici fundamenta eradicare , si fieri posset , pertentant. Hoc ut facilius assequantur , genuina documenta adulterare , eorumque sensum obvium suis præjudiciis aptare non erubescunt. Adversus hoc insanos flagitosorum hominum conatus , juris ecclesiastici peritus in historia generali tum sublimem Conciliorum ac Pontificum agendi rationem , tum prudentem eorum œconomiam mirabitur , tum denique pulchram omnique laude dignissimam Ecclesiæ legislationem exhibere poterit.

Eloquentia sacra , hæc potentissima vox , quæ populis ac nationibus evangelium seminavit , ab historia etiam ecclesiastica vim illam actuosam assumit , quæ mores dirigit , mentem illuminat , voluntatem inflamat , dramatice , si ita loqui fas est , in christianas collationes J. C. , Virginem Mariam , heroesque summos adducit , qui sacerdotium , scientiam , togam , militiam , societatem , solitudinem , virginitatem , statum et familias sanctisearunt.

Eadem ferme emolumenta , quæ ex generali historia educuntur , ex particulari Patrum historia profluere , neminem latet.

Quis etenim adeo leviter historia adspersus est , qui nesciat , Græcos Patres , Demostenis , Platonis Socratisque philosophiam ab erroribus purgasse , atque ut in religionis catholice obsequium deserviret , quamplurimum adlaborasse ? Quod etiam Patres latinos cum Tullio , Seneca atque Virgilio non dissimili successu peregisse , ipsa attestatur historia. Quamvis solitudinem angustaque penetralia , ut à curis sœcularibus se subducerent , Sancti Patres peterent , non ideo antiquam societatem , cuius regeneratores erant , abjurabant. Illi Pontifices , illi Episcopi , omnes illi homines , quid ad leones in amphitheatris projiciebantur , neque litteras , neque philosophiam , neque patriam reffellebant. Primam ortodoxæ fidei scholam Romæ Sanctus Justinus aperit , nec eam claudet , nisi ut harmonicam concordiam rationem inter ac fidem sanguine suo sigillet.

Religionis , Patriæ , scientiarumque amore plena nitent omnia S. Joannis Chrisostomi scripta. Eundem amorem nostri Prudentii pulcherrima carmina spirant.

In eremum fugit Hieronymus , quò eum Providentia ducit , ut amare super imperiale civitatem flet: *Urs quondam arbiscaput; romanī populi sepulchrum est.* Sic immensum suum dolorem , cum ad Demetriadem scriberet , exprimebat. Oculis ab longis vigiliis obtenebratis , veteris illuc mundi annales construebat. Licet nihil aliud præter epistolas nobis Hieronymus reliquisset , magnus adhuc theologus , acutus politicus , orator sublimis , primus inter illius ætatis historiographos esset.

Augustinum vindicat Africa. Augustinus siquidem , Pater , juriscon-

sultus atque philosophus eam ac orbem universum adversus schismata, hæreses, barbarorumque deprædationes, verbis, mente, corde atque manibus tuebatur.

Apium examen Ambrosii cunabula visitasse, suavique liquore labiis ejusdem mellificare, fama percrebuerat. Cum adhuc juvenis esset, perpollitus orator habebatur. Romæ plaudentibus omnibus prætexta oriatus apparebat. Non mirum igitur, si suis in orationibus tum Ciceronis eloquentia tum Horatii venustas affulgeat.

Sanctum Leonem Ciceronem Demostenemque christianum appellatum fuisse, retroactæ ac recentiores historiæ testantur. Quid autem de hoc maximo Pontifice præstantius dici potest, quam divum Paulum in prædicatione, et divum Petrum in sede pontificia imitatum fuisse?

Sic, cum imperii romani moles jamjamque dilaboretur, Pontifices maximi, litteris perpoliti Patres cunctam in Ecclesiæ arca naturam intelligentem, sicut Noe viventem naturam, excipiebant. Flammæ, quibus in Neronis hortis christiani ardebant, eminus et cominus diradiabant, lumen regenerationis quaquaversus diffundebant.

Novissimos Patres, Anselmum præsertim, Bernardum, Bonaventuram, theologorumque Principem Thomam Aquinatem laudare, haud opus esse putamus. In confesso etenim apud omnes est, tamquam magister litterarum tam divinarum quam humanarum in tota Europa audiri, quos consecrari debent, qui supra vulgus sapere volunt.

Accedamus igitur ad illos uberrimos fontes, ex quibus, veluti ex medio Paradisi ea maxima flumina scaturiunt, que vitam secunditatemque producent.

Sancti Patres hæc flumina sunt. Verè Patres nostri, tum fide, tum fortitudine, virtutibus simul ac in scientiis.

Scientiarum historia sapientes creat: artis militaris historia vim atque fortitudinem adauget. Ea ipsa ratione scientifica moralisque patrum historia patrum scientiam atque virtutes excitabit.

Sanctos igitur Patres veneramini, juvenes dilectissimi, Patrum scripta assidua lectione evolvite: Patrum historiam, illam præsertim à clarissimo Moheler evulgatam, atento animo legitote.

Si vero optatam, quæ in hoc Lyceo proponitur, metam attingere vultis, historiam generalem, quæ omnium ecclesiasticarum disciplinarum fundamentum est, diurna nocturnaque manu versare debetis.

Antequam vero finem verba faciendi apponam, monitos vos esse velim, vestraque mente alte repostum, timorem Domini initium sapientiæ esse. *Ipse etenim creavit illam in Spiritu Sancto, et vidit; et dinumeravit, et mensus est.* Auribus vestris semper sonare hæc divina verba, maxime optarem. *Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi.*

Deum ergo timete. Singulari amantissimi Præsulis nostri studio et amori erga Toletanum Seminarium respondete. Diu noctuque, sanus, ægratus cibum sumens de hoc Seminario cogitat, perindeac hæc esset

una ejus procuratio. Ejus ergo evigilantissimæ sollicitudini respondete. *Obedite, etiam prepositis vestris; ipsi enim per vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim expedit vobis.*

Numquam à mente vestra hæc Sancti Isidori sententia recedat: *Tam doctrina quam vita vir ecclesiasticus clarere debet: doctrina siquidem sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit.*

Pietatem simulatque scientias in hoc florentissimo Seminario doceri quamplurimi experti sunt. Vestrum igitur est eas impense addiscere; in hoc nido plumescere, antequam in altum voletis. Hoc studiossi juvenes, enixe precor, ut cum gaudio nostro dicere possitis. *Hic scientias... Virtutesque fideliter didici...*

Hic locus ætatis nostræ primordia novit:

Annos felices lætitiaeque dies!

Hic locus ingenuis pueriles imbuit annos,
Artibus; et nostræ laudis origo fuit.

Dixi.

CULTOS RELIGIOSOS.

Mañana en San Pedro Mártir se celebrará función solemne á la Santísima Virgen con el título del Rosario, y predicará el Sr. Canónigo Lectoral.

Por la tarde en la Iglesia parroquial de San Juan Bautista habrá ejercicios dominicales en honor del Sagrado Corazon de Jesus, y predicará el Sr. D. Cesáreo Humarán, Catedrático del Seminario Central. En la de Santa María Magdalena lo hará el Sr. D. Rafael Tembleque en los actos religiosos mensuales que consagran varios devotos á nuestra Señora del Cármen.

El lunes dia 12 la hermandad de nuestra Señora del Pilar, fundada en la parroquia de San Justo, hace su fiesta anual con Sermon que dirá el Sr. D. José Moya y Soler, Beneficiado de la Santa Iglesia Catedral.

El dia 14 se dará principio al solemne Novenario que la Comunidad de Carmelitas Descalzas de esta ciudad dedica á su Seráfica Madre y mística Doctora Teresa de Jesus. Está encargado de predicar el panegírico el dia de la Santa el Sr. D. Bonifacio Martín Lázaro, Canónigo Lectoral. Las pláticas de la Novena las predicarán por el orden que se expresa los Oradores siguientes: D. Marcelo Hernandez Lastra, el señor Canónigo Penitenciario, D. Antonio Caballero, D. Cesáreo Humarán, D. Antonio Carrera, D. Aureliano Martinez, D. Sebastian Perez Alonso y D. Cayetano Muñoz.

EDITOR, JOSÉ DE CEA.

TOLEDO: 1863.—IMPRENTA DEL MISMO, CALLE DE LA TRINIDAD, NÚM. 10.